



# The Holy See

---

**BENEDICTUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***SINDHUDURGIENSIS\****

**IN INDIA NOVA CONDITUR DIOECESIS SINDHUDURGIENSIS**

Ab oriente et occidente ad fidem catholicam multi ut veniant et recumbant in regno caelorum (cfr. *Mt 8, 11*), divina potissimum favente gratia, Nostrum est officium ad hoc necessaria procurare adiumenta. Quapropter, suadente Praefecto Congregationis pro Gentium Evangelizatione ut dioecesis Poonensis divideretur ad aptius consulendum eius regimini fideliumque spiritali bono, Nos, omnibus mature perpensis habitoque voto favorabili quorum interest, benevolenter amplectimur huiusmodi sententiam et quae sequuntur decernimus.

De plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis a dioecesi Poonensi seiungimus integra territoria districtuum civilium vulgo *Sindhudurg* et *Ratnagiri* atque territoria vulgo dicta «taluk», quae appellantur *Ajra* et *Gandhinglaj*, in civili districtu vulgo dicto *Kolhapur*, excepta paroecia sancto Francisco Xaverio dicata, atque ex ita circumscripto territorio novam dioecesim constituimus Sindhudurgensem nuncupandam.

Huius novae dicionis sedem in urbe *Sawantwadi* statuimus ac templum Deo in honorem Virginis Mariae Miraculorum Dominae Nostrae dicatum in eadem urbe situm ad gradum dignitatemque ecclesiae Cathedralis evehimus. Novam hanc dioecesanam communitatem obnoxiam facimus Congregationi pro Gentium Evangelizatione atque suffraganeam constituimus Ecclesiae Metropolitanae Bombayensis eiusque Episcopum subdimus metropolitico iuri Archiepiscopi illius Sedis. Cetera ad normam iuris canonici expediuntur.

Ad haec Nostra mandata exsequenda destinamus Venerabilem Fratrem Petrum López Quintana, Archiepiscopum titulo Acropolitano et in India Apostolicum Nuntium, universas necessarias et opportunas ei tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet ministrum in ecclesiastica dignitate iam constitutum, onere iniuncto ad Congregationem pro

Gentium Evangelizatione authenticum exemplar actus eiusdem peractae executionis remittendi.

Hanc denique Constitutionem Nostram tam nunc quam in posterum ratam esse iubemus, contrariis quibuslibet minime obsistentibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quinto mensis Iulii, anno Domini bismillesimo quinto, Pontificatus Nostri primo.*

|   |   |
|---|---|
| ANGELUS card. SODANO<br><i>Secretarius Status</i> | CRESCENTIUS card. SEPE<br><i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i> |
|---|---|

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCVII (2005), n. 9, pp. 873-874

© Copyright 2005 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana